



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Disputatio V. De opposita, justitiæ injustitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

in hoc resolvitur: quia Conclusio definitivè est illatio deducta ex præmissis; cum ergo sententia iudicis, sit verè illatio ex præmissis, hoc ipso illa illatio, erit Conclusio, sententiaque iudicis.

Porro præmissæ, ex quibus deducitur hæc Conclusio, necessariò sunt duæ. Prima quidem, quæ est una ex primis principiis iudicandi: quia vero omne principium est universale, etiam præmissa illa, erit universalis. Unde habitus iudicandi, est habitus quasi Conclusionum, habitus autem legum, est habitus intellectus seu principiorum iudicandi, altera autem præmissa, semper est singularis: quia est de facto, facta autem, singularia sunt: hinc in sententia iudicis deducetur etiam Conclusio singularis: quia hæc debet sequi debiliorem partem. Iudexque non convenitur, quâ iudex, ad decidenda universalia, sed ad decidendum de particulari. Dixi, quâ iudex quia quâ Consultor, vel Legislator potest in sua sententia formare Majorem, casu, quo sua illatio debeat imposterum habere vim legis, ingredique habitum primorum principiorum iudicandi.

NOTO 3. Superiori difficultate quæsitum esse, comparando allegata & probata, quæ ad

Minorem revocantur, cum noticia iudicis, quidnam debeat sequi iudex? Nunc aliquid dicendum de Majori judiciali, quæ est ex legibus, comparando scilicet legem ab una, ab altera autem parte allegata & probata, debetne iudex legem sequi, an allegata & probata? Ad quod cum distinctione responderi posset, quòd si lex sit naturalis, aut scripta, interpretans naturalem, debet iudex legem sequi, quia alias operaretur dissona ad naturam intellectualem, dictamina ejus non sequendo. Si autem sit lex contraria naturæ: quia ea non est lex, utpote injusta, sequi eam non debet. Casu autem, quo vel nulla sit lex, vel emergat casus cum talibus circumstantiis non prævisus, iudicabit iudex secundum allegata & probata: quia adhuc iudicabit secundum legem: primam enim vim legis habet mens Legislatoris, quam allegatæ rationes ostendunt. Casu autem quo iudex sit ipse supremus Princeps vel Legislator, & non extet lex, decernat ut voluerit cum hac limitatione, ut decernat secundum legem naturæ: quia alias hoc non esset decernere prudenter, & secundum potestatem, quam habet: nam hæc illi non datur, ut nitimpune possit, contra lumen rationis.

DISPUTATIO V.

De Opposita Justitiæ, Injustitiæ.

Opposita, ut alibi, sic & in præsentia; ultimum in consideratione locum habent.

QUÆSTIO I.

De Injustitiæ secundum se.

Percensenda hinc primum est ipsa Doctrina Arist. & S. Thomæ.

PONIT 1. Arist. lib. 5. Eth. c. 1. talem doctrinam. *Neque enim, inquit, in scientiis, facultatibus & in habitibus idem est modus: Nam facultas, & scientia eadem cum sit, esse contrariorum videtur, habitus autem contrarius, contrariorum nullo modo esse potest, v. g. ex sanitate contraria minime aguntur, sed salubria tantummodo quippe eum sanè quempiam incedere dicamus, cum ita incedit, ut sanus.* Sensus doctrinæ est. Scientiæ extenduntur etiam ad contraria, unde est illud, quod, contrariorum eadem sit scientia. Sed bonæ animi vel corporis habitudines, seu virtutes non extenduntur ad contraria, sicut sanitas non extenditur ad ægritudinem, adeoque nec habitus justitiæ extendetur ad injustitiam.

Hæc doctrina Aristotelis in hoc habet difficultatem: quia in hac habitudine ad contraria,

videntur æqualiter se habere scientia, & virtus, seu habitus, ut loquitur Aristoteles: nam sicut scientia non elicit actus erroris, versatur tamen circa errorem, tanquam circa aliquid fugiendum, oppositaque objecti attingit, ad habendam completam notitiam objecti, quod per se respicit: ita etiam virtus versatur circa oppositum vitium per actus fugæ, nec habetur completa ratio virtutis, ex solis actibus prosecutionis, sed & in actibus fugæ. Et sicut quamvis ipse error elicitus, facilitasque errandi contracta, non complet scientiam, sed illam tollit; ita etiam vitium elicitum, facilitasque eliciendi contracta, non complet virtutem, sed longè diversum, & oppositum habitum constituit.

Quod attinet ad hanc rationem dubitandi, dici hoc potest, quod non in hoc comparet, dicta extrema Arist. quasi non convenient in hoc habitus & scientia, quod ista fugiat errorem, ille injuriam; quod hæc non eliciat errorem, & ille injuriam; in hoc enim simulantur sibi; sed quia contraria pertinent ad eandem potentiam, sicut (inquit, S. Thomas in Com. hujus loci) *album & nigrum ad visum, & ad eandem scientiam, sicut sanum*

sanum & agrum ad medicinam. Sed habitus contrarius, non se habet ad contraria sibi: nam à similitudine, non procedunt ea, quæ sunt contraria similitudini, seu quod idem est, ad visum v. g. pertinet & album & nigrum, ad sanitatem non pertinet ægrotudo & sanitas, sed solum sanitas.

PONIT 2. Idem Arist. Quod quamvis habitus virtuosus non sit contrarius, bene tamen ex contrariis internosci possit. Sæpe, inquit, quidam contrarius habitus ex contrario agnoscitur, hancque ipsam propositionem probat à pari. Nam & si bona corporis habitudo fuerit nota, mala quoque habitudo innotescet, &c. Si enim, inquit, bona habitudo carnis densitas est, necesse est ut & mala habitudo, raritas sit, &c.

PONIT 3. Idem Aristoteles. Si habitus ex contrariis internosci potest, quoties unum contrariorum dicitur, toties & aliud, aliàs non se ad invicem notificarent.

Contrarium injustitiæ est justitia, justus autem, quantum ad præsens, tripliciter aliquis dicitur. Primò, quando est legitimus, hoc est, legem servans. Verba Arist. ex eodem capite sunt. *Ius ergo etiam ipsum legitimum & æquum erit, injuria, contra illegitima, & iniqua.* Secundò, quando est aliquis legalis, hoc est, ponit æqualitatem ad jus, quod habet communitas, facitque satis debito, curandi bonum commune, cui oppositus est illegalis, & iniquus bono communi: indicant hoc ibidem verba Arist. *Atque ita, inquit, uno quidem modo causa justa dicimus, qua felicitatem ejusque partes civili societati, & efficiunt & conservant.* Tertiò. Justus aliquis dicitur, qui ponit æqualitatem in reddendo unicuique quod suum est, cui opposita injustitia aufert alteri, quod illius est, licet sit justus patriæ, indicant hoc verba Arist. *quia, inquit, injustus est etiam plurius usurpator, circa bona non omnia versabitur.* (Ut versatur circa omnia, hoc est, circa bonum commune, qui est justus patriæ,) sed circa ea tantum, in quibus fortunæ prosperitas & adversitas consistit.

PONIT 4. Arist. modos quibus potest committi injustitia.

Primum modum ponit c. 8. quando aliquis injustum facit, sed non injustè non advertens scilicet: ad injuriam alterius. Verba Arist. sunt. *Injustè vel injustè factum spontaneo & invito definiuntur.* Cum enim spontaneum fuerit vituperatur, tuncque etiam est injustè factum. Ex quibus infert, quare inquit, sit ut injustum quidem esse quidpiam possit, quod tamen nondum injustè factum sit, nisi etiam id adfuerit, ut sponte factum sit, inferiusque numerans hos ipsos, de quibus hic, modos. Primum hunc modum appellat etiam infortunium. *Quando igitur, inquit, præter rationem evenit læsio, infortunium est.*

Secundum modum ponit ibidem, quando aliquis cum advertentia, quidem facit, quod hoc sit injuria, sed non ex complacentia in æqualitate, nec ex eius post præconsultationem ele-

ctione facta; talis injustum, & injustè facit, sed nondum eum appellat Arist. injustum, sed peccantem, peccantem, inquam, quia peccare dicitur, qui cum potuerit non ponere actionem haberetque principium, illam non ponendi, nempe cognitionem cum libera voluntate, nihilominus illam ponit, verba Arist. sunt. *Quando autem non præter rationem, sed sine tamen vitio, peccatum, peccat enim quisque cum in se principium causæ habuerit.* Subiungit postea Arist. *At cum cognoscens quidem, sed sine tamen præconsultatione agit quispiam injustè factum est.* Quod ipsum exemplificans dicit. *Ut sunt quæ ex ira fiunt, aliisque affectibus &c. qui in his enim lædunt & peccant, injustè quidem agunt, suntque hæc injustè facta, nondum tamen injusti ob hæc, neque pravi ipsi homines habentur: quippe cum læsio ipsa ex pravitate minimè evenit, ubi per pravitatem seu vitium intelligit operationem, ex habitu injustitiæ, ut dictum iam explicatione horum terminorum, in materia de peccatis statim sub initium, ipsamque intelligit in injustitia complacentiam.*

Tertium Modum ponit Aristotel. quando aliquis & injustum & injustè, & ex injustitia facit, tuncque primum appellatur injustus, quando scilicet ex complacentia & motivo injustitiæ, ponit actionem injuriativam. Verba Arist. sunt. *cum ex electione læserit quispiam, tunc demum injustus, ac pravius est.*

Hanc ipsam doctrinam Arist. sic ferme proponit S. Thomas q. 59. a. 2. in Corpore. Objectum justitiæ est æqualitas in rebus, cumque contrariorum eadem sit ratio, illi opposita injustitia, debet habere pro objecto inæqualitatem in rebus. Quia autem nulli sunt habitus, qui cum habeant sua objecta, non habeant suos actus, dabitur etiam actus injustitiæ, & hic vocatur injustificatio, quæ ipsa injustificatio potest esse talis, ut ponat nonnisi materialiter injustum, licet interdum ponat, formaliter injustum. Contingit autem existere materialiter injustum propter defectum comparisonis ipsius operationis ad objectum: omnis enim operatio respicit suum objectum, ab illoque speciem sumit: quia tamen ipsum objectum potest se habere, vel per se ad operationem, vel per accidens, nonnisi per se habens objectum specificabit actionem: nam in his, quæ sunt propter finem, adeoque voluntaria, per se dicitur aliquid, quod est intentum: quia verò in aliqua operatione injusta potest aliquid aliud per se intendi, per accidens autem esse illic injuriatio, puta, cum hoc facit per ignorantiam non existimans se injustum facere, necessario tunc non erit injustificatio: quia per se non intendit inæqualitatem in rebus, adeoque solum per accidens, & quasi materialiter faciet id, quod est injustum.

PONIT 5. Si ponatur operatio, quæ verè spectet ad habitum injustitiæ, seu ut loquitur S. Thomas. *Quæ dicat defectum comparisonis ipsius opera-*

R. P.
H. M. LOD
a. 10. w. s. k.
Tom. 3. et 4.
D. VI
6

operationis ad habitum, hoc est, eam defectuositatem intentam, quam defectuositatem intendit habitus, licet sub specie apparentis boni, tum primum erit formalis injustificatio. Tunc autem dicit defectum comparationis ipsius operationis ad habitum, quando ex electione fit injustificatio. Verba sunt Sancti Thomæ, *quandoque autem in electione, quando scilicet ipsa injustificatio per se placet, & tunc propriè procedit ab habitu: quia unicuique habenti aliquem habitum, est secundum se acceptum, quod convenit illi habitui.*

QUÆSTIO II.

Daturne Injustitia, an sit vitium Speciale?

EX posita illa doctrina Aristotelis & S. Thomæ, hæc solent frequentius inquiri: Quid sit injustitia? An sit vitium speciale? Qualesnam actus ex habitu injustitiæ procedant?

DICENDUM est 1. *Injustitiam, ut sit, rectè definiri, quod sit violatio juris alieni*, quæ ipsa, si fiat sine advertentia, erit injustitia materialis, si cum advertentia, erit formalis, secundum varietatem modorum, de quibus Posito quarto.

PROBATUR Bonitas descriptionis: quia convenit omni soli & semper, proceditque per prima.

DICENDUM est 2. *Dari aliquod vitium speciale injustitiæ.* Dixi, *aliquod*: quia sicut datur aliqua justitia non specialis, sumendo illam pro tota collectione virtutum, ita etiam potest dari injustitia generalis, quodcumque vitium illius nomine comprehendendo.

PROBATUR 1. Conclusio. Datur aliqua specialis justitia virtus. Ergo dabitur & aliqua specialis injustitia, quæ sit vitium. Antecedens supra probatum. Consequentia probatur. Quia non est major ratio pro antecedenti quam pro consequenti, & undecumque desumetur specialitas virtutis justitiæ, inde etiam desumetur, specialitas injustitiæ.

PROBATUR 2. Vel datur inclinatio minorandi proximum in illis; quæ sua sunt, vel non datur? si non datur, experientiam furtis probatam negas, si datur, quæro, vel illa defectuosa, vel virtuosa? si virtuosa. Ergo, furari virtuosum erit, si autem minoratio proximi in illis, quæ sua sunt, est defectuosa, quæro vel est defectuosa defectuositate identificata aliis vitiis, vel speciali? si identificata aliis vitiis? Contra erit: quia vel singulis eorundem, vel aliquibus non nisi, si singulis eorundem? Ergo, nemo datur vitiosus, quocumque vitii genere, quin sit simul fur, cum enim cuicumque vitio sit identificata injuria furti, committens illud, fur erit, loquensque verbum otiosum, fur erit. Si aliquibus non nisi, ostende quibus, daque rationem, cur non

identificetur aliis? Quod si datur specialis inclinatio ad istam minorationem condistincta ab aliis vitiis. Ergo, datur vitium speciale injustitiæ, quod sit exercitium illius inclinationis. Ergo, & specialis injustitia.

RESPONDEBIS. Datur interdum in malitiosissimis inclinatio annihilandi Deum, & nihilominus non datur exercitium illius inclinationis: manet enim in annihilatus Deus.

CONTRA. Quia ipsa appetentia annihilandi Dei, est ipsum illud exercitium inclinationis, de quo ipso exercitio hic quærebatur. Deinde, quia ad manus est minoratio, non est ad manus annihilatio Dei; imò sicut ille actus habet suam specialem malitiam, ita ex vi medii termini assumpti habebit specialem malitiam injuria.

PROBATUR 3. Omne illud vitium est speciale, quod habet proprium suum motivum condistinctum à motivis aliorum vitiorum. Sed injustitia, sive particularis, sive legalis, sive distributiva (quæ sunt species injustitiæ, de quibus proportionatè discurrendum est, ac de virtutibus oppositis) habent suum proprium motivum, à motivis aliorum vitiorum distinctum. Ergo. Major probatur Inductione, paritate cum virtutibus, denique, quia quando datur formalisativum in ratione vitii specialis, dabitur & vitium speciale. Sed quando datur motivum speciale alicujus vitii, datur formalisativum in ratione vitii specialis: diversum enim motivum, est differendi ratio, hoc ipso, quia diversum est; differendi autem ratio, est ratio specificandi, seu formalisandi. Minor principalis probatur, quia bonitas apparens ex minoratione in bonis propriis alterius, vel opponendi se bono communi, quæ commune est, vel non dandi de bonis communibus, est motivum proprium, à motivis aliorum vitiorum distinctum, ut ostendet enumeratio.

Quod attinet ad Tertium. Qualesnam actus ex habitu injustitiæ procedant? Videntur supponere communiter Auctores, quod actus, qui secundo modo fiunt, de quo Posito quarto, sunt quidem actus proprii injustitiæ, non tamen procedant ex habitu speciali injustitiæ, & quod illum non generent, sed illum generent soli actus, qui procedunt ex directa complacentia inæqualitatis, videatur de hoc puncto Dicast. d. 3. n. 9.

DICENDUM est 3. *Etiam actus injuriandi, qui procedunt ex complacentia indirecta injustitiæ, procedere ex habitu injustitiæ.*

PROBATUR 1. Quando ex duobus motivis Physico & Metaphysico fit assensus, quantumvis plus tribuatur motivo Metaphysico, quam Physico, nihilominus ad illum actum, concurrat uterque habitus. Ergo etiam quando fit injustitia ex motivo directo v. g. vanæ potestatis ostentandæ, & simul ex motivo, quamvis non præcisè complacentiæ in minoratione alius, ad hunc

hunc actum, & habitus vanæ ostentationis, & habitus injustitiæ concurrent: quia quod est major appetitio intellectus motivi Meta-physici præmotivo Physico, hoc est indirecta voluntas minorandi comparata ad intentam ostentationem potentia: æque enim se habent in movendo, licet cum inæqualitate in modo movendi. Antecedens probatur. Quia potest facilitas in utriusque hujus motivi usu, reperiri, quæ necessariò debet rejici in utriusque habitus concursum. Deinde determinatio habitus, ut concurrat, non fit alio, quam propositione motivi, & materiæ circa quam ille habitus versatur, supposita illius inclinatione naturali ad concurrendum, si prædicta dentur. Si ergo hoc solum unum motivum poneretur, concurreret ad illum actum habitus; cur ergo, cum non noscat habitus an concurrat alius, non debet etiam pro sua parte concurrere?

PROBATUR 2. Actus proprius injustitiæ, si fiat cum facilitate, debet facilitari ab habitu injustitiæ. Sed actus, qui fit cum complacentia quidem, sed non præcisa injustitiæ, est actus proprius injustitiæ, ut concedunt oppositi, & fit cum facilitate. Ergo, facilitabitur ab habitu injustitiæ. Probatur Major; quia non est in quod aliud principium, referatur illa facilitas.

PROBATUR 3. Comparemus utrumque: illo- rum actum, nempe minorationem ex complacentia præcisa injustitiæ, & minorationem ex complacentia quidem, non tamen præcisa injustitiæ; vel illi distinguuntur, inter se specie, vel non distinguuntur? si distinguuntur. Ergo, distinguuntur ratione motivorum, unde enim alias specificarentur? cum ratio directi, & indirecti, præcisè & non præcisè spectati, non videatur adferre differentiam specificam; sed se habet sicut rectum & obliquum, quod præcisè, quæ tale, & circa idem, non facit differre specie, illas Pater in recto positus, à se in obliquo positus, distingueretur specie. Cumque directè & indirectè substantiam non importent, sed solum modum motivi, eumque accidentalem, fit, ut illud indirectè & directè, non adferat diversitatem specificam. Quod si illi actus sunt ejusdem speciei. Ergo, ad illos habitus injustitiæ concurrere potest. Probatur Consequentia. Imprimis, quia alias, & non differrent specie, ut supponitur, & differrent specie: quia est notabiliter differre, si ad hunc quidem actum possit facilitare, & concurrere habitus, ad alium autem non possit. Deinde, si quia Physica non potest concurrere ad actus Logicæ, quæ tales, bene infertur specie distingui illos actus, cur idem in præsentem non dicatur? Denique cum habitus sit ad similem actum productionem facilitativus, si habitus injustitiæ non facilitaret, etiam ad minorationem ex indirecta complacentia minorandi habitum, & esset similis ille actus, ut supponitur, non potest non distinctus specie, & non esset similis: ita ad illi habitus ille, concurrere non posset.

OBJICITUR 1. Auctoritas Aristotelis & S.

Thomæ qui cum indirecta complacentia minorandi operantem, non appellant injustum, sed injustè operantem.

RESPONDETUR. Cum denominationes sumantur à potiori, casu autem, quo ex indirecta complacentia injustitiæ fit minoratio, habet aliud motivum, rationem potioris, fit, ut ab illo denominatio sumi debeat, ad quod attendendo Aristoteles, docuit, talem non appellari injustum. Rursus, quando noluit Arist. talem appellari injustum, id ideo fecit: quia injustus sine addito, supponit pro principali & famosissimo: principalis autem & famosissimus, in ratione justitiæ is habetur, qui non tantum formaliter sed formalissimè est injustus, adeoque cum directà intentione minorandi, quæ in hoc genere famosissima est.

OBJICIT 2. Esparza. Post ejusmodi actus sæpe repetitos, non propterea dabitur in furante facilitas, & inclinatio ad furandum, quando jam non aderunt motiva alia, idque propter defectum cognitionis actualis, illa representantis, vel illa posita, non pollent nihilominus vi sufficienti ad reddendum facile furtum, propter virtutes contrarias postea acquisitas; cum tamen, si quis furetur ex motivo inæqualitatis, præcisè erit facilis ad furandum, etiam si desint cætera motiva simul concurrentia.

RESPONDETUR. Totam difficultatem, quæ tunc sentitur, fore non in hoc, quasi illi difficile sit moveri illo motivo injustitiæ. Si enim ante habuit idem motivum, facilemque se experiebatur, non est ratio cur idem nunc non experiatur, quantum ex vi motivi, sed erit difficultas in hoc, quia solum illud motivum modo est moturum, cum tamen in ante conjunctim moverit, acquisiveritque facilitatem ad conjunctim moveri, erit ergo facilitas partialis, relucens etiam non nisi partiali motivo. Cæterum si quis solo v. g. motivo vanæ gloriæ moveretur, & nullo modo injustitiæ, indubiè ille actus non procederet ex habitu injustitiæ. Et hoc putandum est voluisse Auctorem.

OBJICIT 3. Dicast. Habitus injustitiæ particularis, debet habere aliquam speciem propriam, quæ desumatur ex aliquo objecto formali, & motivo voluntatis; actus autem injustitiæ, qui non procedunt ex complacentia voluntatis, eo ipso non procedunt ex uno objecto formali, h. e. amore unius boni. Ergo, pertinere non possunt ad unum vitium particulare.

RESPONDETUR. Actus illos procedere ex uno substantialiter motivo, sed non ex uno accidentali: nam directè & indirectè attractum motivum justitiæ idem in substantia est, non idè in modo.

OBJICIT 4. Idem. Licet posita complacentia indirecta in inæqualitate, movente simul complacentia directà, alius vitii, convenient illi actus in malitia, cum actibus directè intendentibus apparens bonum, in inæqualitate cum alio, non tamen id satis est ad generandum habi-

* L

tum

R. P.
H. M. LOD
a. m. w. s. k.
Tom 3. et 4.
D. VI
6

tum in voluntate, qui est realis qualitas: nam malitia non est realis perfectio positiva, & licet esset perfectio positiva, adhuc non generaret unum habitum iniustitiae: habitus enim unus generatur ratione unius objecti formalis & moventis; actus autem iniustitiae, quamvis conveniant in specie malitiae, si tamen non procedunt ex simili complacentia inaequalitatis, non respiciunt unum objectum formale movens voluntatem. Ergo, non possunt in voluntate unum habitum generare.

RESPONDETUR. Non satis apparere: qui sequatur ex eo, actus illos cum in directa complacentia iniustitiae factos, non esse potentes ad generandum habitum iniustitiae, quia illa malitia non est realis perfectio positiva; cum quantumvis ponatur directa complacentia in illa inaequalitate, necdum illius actus malitia, est futura realis perfectio positiva, & tamen tales actus generant habitum iniustitiae, per ipsummet Di-
cast. Quod attinet ad illam propositionem. Non generaretur tunc unus habitus iniustitiae, illa hoc sensu, vera est: quia non tantum habitus iniustitiae, generatur tunc; sed & alius; ille scilicet etiam, cuius malitia directe intenditur; sed non est hoc sensu vera, ut etiam tunc ille non generetur, ob rationes dictas: cum enim tunc non uno motivo moveatur voluntas, non generabitur unus habitus: quia tamen movetur v. g. duplici motivo, licet aliud sit indirecte volitum, duplex etiam generabitur habitus, unde illi actus, procedunt ex simili complacentia inaequalitatis, sed non similiter, quia quando duplici motivo movetur voluntas indirecte appetitur inaequalitas, alias autem supponitur directe appetita, quae differentia non est substantialis, adeoque similitudinem motivi, ex dictis supra, non excludens.

OBJICITUR 5. Potest moveri aliquis ad iniuriandum appetitu ostentandae potentiae, appetitu splendide vivendi &c. quae motiva sunt diversa. Ergo, non est motivum speciale iniustitiae. Ergo, nec illa speciale vitium.

RESPONDETUR. Non esse motivum speciale iniustitiae, si aliquis simul non moveatur, saltem indirecte, bono apparenti in inaequalitate cum altero; secus si moveatur; tuncque erit non nisi vitium speciale iniustitiae.

QUAESTIO III.

De Modo committendi Iniustitiam.

Sic proponit titulum cit. Valentia puncto 2. Alii cum Aristot. & S. Thoma sic: Ansienti & volenti possit fieri iniuria. Prior phrasis ad methodum non est incommoda: nam post tractatum de iniustitia, modus illius committendae, ordinatè satis subiungitur.

DICENDUM est 1. Quod sibi ipsi nemo possit iniuriam facere. Ita Arist. 1. 5. Eth. c. 9. & 11. idemque asserit S. Thomas q. 59. a. 3.

PROBATUR 1. Auctoritate Aristot. sic ille habet cap. citato 11. *Quare neque secundum hanc, sibi facit iniuriam quisquam: simul enim idem auferri ac detrahi eidem posset, quod omnino nequit, sed semper inter plures esse jus & iniuriam necesse est*, ex quo loco sic Argumentum proponitur. Quia & pateretur volens iniuriam & non pateretur, pateretur quidem, ut supponitur, non pateretur autem: quia non potest quisquam pati iniuriam, nisi aliquid illi detraheretur, quod suum est: si enim iustitia aequalitas est, iniustitia inaequalitas erit; inaequalitas autem non est, nisi aliquid diminuat, cum ipsa ratio diminuendi, inaequalitatem constituat. Sed nemo sibi volens detrahit, quod suum est. Quod ipsum probatur. Quia & detraheret sibi volens quod suum est, ut supponitur, & non detraheret: quia nemini illud detrahitur, quod habet, nisi forte dicas quod habens pecuniam A. Petrus, detraxerit sibi pecuniam A; habet autem, qui sibi accipit, hoc ipso enim non acciperet sibi, si non haberet; iniurians autem seipsum, accipit sibi, à se.

PROBATUR 2. Ratione S. Thomae. Sic ille habet in corpore, cit. art. *Respondeo, dicendum quod actio de sui ratione procedit ab agente, passio autem secundum propriam rationem est ab alio, unde non potest esse idem secundum idem agens & patiens, ut dicitur in 3. & 8. physic. principium autem proprium agendi in hominibus, est voluntas, & ideo illud proprie & per se homo facit, quod volens facit &c.* Ex quo loco sic conficitur Argumentum. Si volens pateretur iniuriam, idem esset inferens iniuriam, & patiens iniuriam, sed non potest esse idem inferens iniuriam & patiens iniuriam. Quod ipsum probatur, quia impossibile est esse idem, secundum idem, agens & patiens. Ergo, neque potest esse idem inferens iniuriam & patiens iniuriam: in quantum enim esset inferens iniuriam, esset agens, in quantum patiens iniuriam, esset patiens. Major autem illa: quod impossibile sit esse idem, secundum idem esse agens & patiens, probatur Auctoritate Aristotelis & ratione. Quia sicut actio, secundum quod est actio, non est oppositum, seu non actio, adeoque passio; ita & concretum ex actione, quod est agens, & concretum ex passione, quod est patiens, non potest esse idem, secundum idem, aliàs esset concretum sine forma, adeoque non concretum. Huic tamen rationi posset satisfieri, quod sufficiat secundum diversam formalitatem esse agens, secundum diversam esse patiens.

PROBATUR 3. Iniuria non potest esse nisi per contraventionem iuri, à quo etiam nomen sumit; quod sit in jus itio. Et certe nemo me in hoc iniuriat, ad quod jus non habeo, ut ostendit Inductio, & ratio ulterior est. Quia non est iniustitia, nisi sit contra iustitiam; non est autem iustitia nisi sit jus; hinc si quid non est contra jus, nec erit contra iustitiam. Sed nullus suo iuri contravenire potest: quia volens spoliare se iure:

in hoc enim volitio illius stat, ut dicat, nolo hoc jus, de quo infra, quod si spoliatur se jure. Ergo illa actio, non erit contra jus, adeoque nec injuria.

DICENDUM est 2. *Volentem & scientem, etiam ab alio, non posse pati injuriam.*

PROBATUR 1. à pari. Volens non potest sibi facere injuriam. Ergo, nec ab alio eandem pati volens: moraliter enim illa actio alterius, est volentis. Ergo, si sibi ipsi physice agens non inferat injuriam, nec agens moraliter, inferet sibi injuriam: nam ad injuriandum, ut aliàs inductio ostendit, parum confert physice vel moraliter agere. Er certè tunc injuriatus & haberet minus quam velit; in hoc enim formalis injuria fiat constituta à materiali, & non haberet minus; haberet quidem, utpote injuriatus, non haberet autem: quia hoc vellet.

PROBATUR 2. Rationibus Auctorum: Tum quia. Ut urget Valen. cit. Impossibile est, ut aliquis patiatur injustitiam carentem objecto injustitiæ formali; aliàs esset illa injustitia, sine sui constitutivo. Sed si quis pateretur injuriam volens, pateretur injustitiam carentem, injustitiæ objecto formali: quia objectum formale injustitiæ, est inæqualitas, violans æqualitatem cum altero voluntariam. Sed tali objecto careret injustitia, quam quis pateretur volens. Ergo. Major immediata probatur: Objectum injustitiæ contrarium est objecto justitiæ, objectum autem justitiæ, licet non ex specifica sua ratione, tamen ex ratione generica virtutis moralis, dicit ordinem ad rationem & voluntatem eorum, qui per justitiam ex æquantur. Ergo, idem habebit injustitia. Minor etiam principalis probatur, nempe quod objecto careret injustitia, quam quis pateretur volens. Nam, ut aliquis volens patiatur injustitiam, debet velle, ut sibi de bonis detrahatur, quâ detractio tollatur illi æqualitas cum altero, qui autem hoc vult, hoc ipso definit velle ejusmodi æqualitatem, ac proinde inæqualitas per illam detractioem inducta, non violat æqualitatem voluntariam, quod tamen, ex dictis, ad injuriam requireretur. Tum quia, ut urget de Lugo, hic d. 8 n. 4. referens se ad diff. 3. de Incarn. Sect. 6. Nemo potest sibi ipsi inferre injuriam, eò quod non possit habere voluntatem sibi contrariam, sic nec alteri potest injuriam propriam inferre, nisi habenti contrariam voluntatem, quam tamen non potest habere ille, qui omnino cedit jure suo. Tum quia, ut urget Esparza q. 14. Nemo potest facere injuriam per se & formaliter nisi volens. Ergo, neque pati eandem formaliter, potest volens: sicut enim non potest quisquam constitui moraliter agens, nisi per voluntatem, ita non potest constitui moraliter patiens, nisi per voluntatem.

PROBATUR 3. Tum quia. Volens & pate-

retur ab alio injuriam, ut supponitur, & non pateretur: nemo enim potest pati injuriam, nisi habeat jus. Sed volens pati injuriam, non habet jus: quia vel habet simul & semel volitionem juris, & nolitionem juris, vel non habet? si simul habet utrumque? hoc saltem naturaliter fieri non potest, esset enim volitio contrariorum, & per multos id, nec divinitus evenire potest. Rursus, si simul habet etiam volitionem juris & nolitionem juris, statim imprimis quæstionis alium formas: an scilicet simul volens & nolens possit pati injuriam, quod utrumque complexum accipiendo, loquamur de solo illo, in quantum vult illam injuriam: An sit futura illa injuria formalis, relabaturque quæstio, quod non habeat simul nolitionem juris, & volitionem, sed solum nolitionem, quo posito sic ulterius urgetur. Quando homo habet nolitionem sui juris, quando item vult fieri illud furtum, de quo quæritur, an sit injuria? vel adhuc retinet jus, vel non retinet? si non retinet. Ergo, actio illa non est contra jus. Ergo, neque injuriatur, quia de his, pro eodem sumptis hic disputatur. Si autem retinet adhuc jus. Contra erit. Quia sequitur nihil posse vendi, & emptores facere injuriam venditoribus: utuntur enim illis, ad quæ venditores transacta venditione habent jus: non enim illo se spoliaverunt, si quidem illa spoliatio stabat in voluntaria cessione; voluntaria autem cessio, non cessat jus. Tum quia. Quando aliquis vult accipi à se 100. florenos, supposito tamen, quod volenti possit fieri injuria, vel est tunc furtum; vel non est, si non est? Ergo, illi volenti non fit injuria. Ergo, nec aliàs volenti fiet injuria, si est furtum? Ergo, est acceptio rei alienæ invito Domino, & non est acceptio rei invito Domino: est enim volente ipso. Tum quia impossibile est haberi duo jura in solidum, permanentesque in eandem rem; & tamen contraria; seu unum, pugnativum cum altero, ut noscitur & ex Inductione & ex natura, definitioneque domini; quomodo enim hic unus, habebit legitimam potestatem disponendi, prout voluerit, si alter habet alteram legitimam potestatem, ut illam dispositionem impediatur, vi juris sui. Quomodo jam hoc suum erit, quod commune est? sed si volenti posset fieri injuria, darentur simul duo jura in solidum, permanentesque in eandem rem. Quod probatur. Quia is, qui injuriaretur, necessario haberet jus v. g. in suam pecuniam, non enim ad illam compareretur ut aliquis, ad quem illa non spectat: is etiam qui facit injuriam, haberet ad illam jus: quia volens tribuit illi illud jus: quis enim alius esset terminus effectusque illius efficacis voluntatis: *volo hoc facias*. Suadetur idem hac similitudinaria comparatione sit ly: *volo hoc facias* productivum necessariū qualitatis, sit hæc qualitas ipsum jus in alio, per ly *volo hoc facias* productum; certè hoc ipso quia diceretur illud ly: *volo hoc*

* L 2

facias

R. P.
H. MLOD
alio wski
Tom 3. c. 4.
D. VI
6

facias produceretur & illa qualitas seu jus, in eo cui hoc diceretur: *volo hoc facias*. Ergo etiam cum moralis potestas moraliter producatur, si dicat habens jus: *volo hoc facias*, produceretur in illo, cui dicitur, moralis illa potestas, adeoque habebit jus. Tum quia. Quando veniunt duo principia debellativa ejusdem, quorum unum quodque, est sufficiens extinctivum tertii, debet illud tertium cedere, hoc ipso enim non esset illa sufficienter extinctiva, sed jus inferentis injuriam, & voluntas ejus, qui illam sibi vult inferri, sunt sufficienter extinctiva juris, quod injuriatus, tunc deberet intelligi habere. Ergo, illud jus cessabit, nullumque erit; si autem cessabit, non erit, factum contra illud, injuria. Minor probatur. Inferens injuriam jam utitur jure suo à volente dato; pullulatio item novi juris, est extinctiva veteris: aliàs nullā daretur Respub. quia hæc nulla, ubi confusio legum, & jurium. Unde jus unius, generativum juris in altero, habet se sicut se haberet illa qualitas, quæ essentialiter ordinaretur nonnisi ad productionem similis qualitatis, quā producta peteret indispensablem annihiliari. Sicut enim in illa qualitate, ita & in jure esset essentialis exigentia; Exigo durare quousque non facio, quod, possum. Si autem supponatur facere, quod possit, hoc ipso jam exigit non durare: quia exigit ne duret ultra quod à natura instituitur: nam si duret ultra id, ad quod à natura instituitur, jam illud bonum durationis, non est suum; quia contra suam naturam, & conceptum, quem dicit. Jam autem quando jus ponit actum translationis sui, id efficaciter facit, quod potest facere in eo, qui illud transfert: quid enim ultra tandem potest in illo, in quo, ex vi translationis, ultimo est, & in eo in quem transfertur hoc ipso primo debet esse. Denique jus illud supponitur esse amissibile. Ergo, ex dictis, pendens à voluntate habentis. Ergo, illa volitio exstinguit illud jus: quia hæc extinctio non per aliud fit, quam *volo oppositum*, vel *nolo hoc*.

Objectiones solvuntur.

OBJICITUR I. Non repugnat per nos, uno eodemque instanti esse dominium penes duos in solidum, quo posito, dicat Petrus *volo hoc facias*, adhuc hoc instanti retinet jus Petrus, acceptet Paulus, & eodem instanti reali faciat, quod vult, faciet adhuc contra jus Petri, & tamen volentis. Ergo, faciet injuriam: quia facere contra jus, est facere injuriam.

RESPONDETUR. quod tunc faciat quidem alius contra jus Petri, sed cui ceditur, non autem contra jus, cui non ceditur consequenter, illi juri contraveniri potest, sine injuria cum illi cedatur. Quæ Responsio supponit esse aliqua jura, quibus cedi possit, quod jus, licet maneat in instanti cessionis, quia tamen illi ceditur sine

injury, poterit is cui ceditur uti re illa, modo is cui ceditur, non faciat aliquid tale rei datæ, ratione cujus, verificari possit quod illo instanti non possit donare ut dictum supra de Domino duorum in eodem instanti. Alia autem est species juris inamissibilis, de qua hic aliqua. Quamvis non dentur jura inamissibilia hoc sensu, quafi sint de essentia habentis; habentur tamen hoc sensu inamissibilia: quia illorum conservatio & acquisitio non pendet à voluntate ita instituentium Majorum. Jus enim in Polonia v. g. Nobilitas ipsa voluntate amitti non potest: quia esse nobilem non pendet à voluntate Nobilis, sed à sanguine, favente lege, jus item immunitatis Ecclesiasticæ, &c. Quod autem tale jus sit inamissibile. Ratio est, quia cum jus non sit aliquid reale Physicum, corrumpi vetustate, vel dissolvi non potest, si tamen est, debet esse aliquid intentionale: ad intentionalia autem se extendit nonnisi intentio; hoc est voluntas & intellectus, consequenter & ad jus, quod quoddam bonum intentionale est, extendit se intellectus & voluntas. Porro ab ipso intellectu non pendet acquisitio vel conservatio, adeoque possessio juris: quamvis enim intellectus sit possidere objectum, hæc tamen possessio statim sola expressione objecti vitali intra se habita, consequenter per ordinem ad jus, intellectus habebit se tanquam agnoscitivum juris. Cognitio tamen juris non facit jus, nec potestatem moralem; ex hoc enim, quia noscimus, non habetur jus in nobis, sed tantum habetur intentionalis imago & expressio juris. Cognitio item non juris non facit, ob easdem rationes, amissionem juris. Dependere ergo debet acquisitio & possessio juris, vel amissio à voluntate: cum enim jus, quā tale, sit species quædam boni, spectabit ex sua natura ad voluntatem; cumque possessio, ut dixi, sit aliquid intentionale, debet à nostris intentionibus pendere, cumque non pendeat ab intellectu, si pendet, pendeat à voluntate. Si ergo sint talia jura, quæ pendent quidem à voluntate, sed non à voluntate habentis, amitti non possunt, cum illorum amissibilitas ex sua ratione nonnisi à voluntate pendeat; si ergo non pendent à voluntate habentis, respectu habentis inamissibilia erunt.

Inter alias species juris inamissibilis est, Prima Species, ipsum jus communitatis, quod habet communitas: cum enim communitas à communi voluntate pendeat, non ab una particulari nec jura illius à voluntate particulari pendent. Est quidem in potestate tua aggregare te communitati: quia tamen sis particeps juris communitatis sis particeps juris non pendens à tua voluntate, si non pendens à tua voluntate, hoc ipso sis particeps juris inamissibilis.

Secunda Species juris inamissibilis, est jus fundatum in principiis naturæ; hoc etiam jus quā

quæ est fundatum in principiis naturæ, sicut ipsa natura non pendet à tua voluntate, sic nec jus fundatum in principiis naturæ pendebit à te, consequenter, nec erit amissibile voluntate tua.

Tertia Species juris inamissibilis est, jus fundatum in debito, quod debitum imponit potestas jurisdictionis, quod, comparatè quidem ad Principem & leges est debitum: comparatè autem ad bonum, quod habetur vi illius legis, est jus, ne quisquam hoc suum bonum minorare possit, & tale est jus homagii &c.

Ad jus inamissibile revocari potest obligatio conjugum, ita ut juri conjugii, nemo renunciare possit, idq; ex his rationibus. Imprimis quia illud jus indissolubilitatis matrimonii est latum à Christo, tanquam Principe, gravans quidem conjugatos, sed simul, dans illius jus, ne in bonis illis mutuis, à quoquam licitè, impedire possint. Est item jus totius communitatis Reipub. rationalis, cujus bonum est, constans hæc societas ad bonum educationis proles.

Quia tamen acquirunt ad invicem jus etiam conjugum, hoc etiam quod sit inamissibile, si quis tueri vellet, sic se tueri posset. Indissolubilitas Matrimonii, quamvis non sit de essentia ejusdem, & licet non sit contra naturam, ex lege tamen à Christo data, gravat etiam particulares, universaliter dicente Christo, *quod Deus conjunxit, homo non separet*. Hæc indissolubilitas matrimonii, non tantum hoc secum trahit, quod scil. ad invicem ad vitam usq; habeant in se jus, sed etiam ut se jure illo privare non possint, vel in communionem juris, alium admittere.

RATIO. Tum quia. Et esset illud matrimonium indissolubile, ut supponitur, & dissolubile, siquidem jus ipsum esset dissolubile: quia quâ ratione admitteretur alius in consortium juris, ea parte dissolutio juris foret: fieret enim bonum illud commune, cum fuerit proprium; & sicut cum donatione aliquid evadit commune, dissolvitur, amittitque jus proprium, ita fieret & in presenti. Tum quia; si quis votum legitime factum, quocunq; modo revocet, nihilominus tenebit votum. Ergo, etiam licet quocunq; modo aliquis cedat jure conjugali, tenebit jus. Quod ipsum ulterius in hoc fundatur: quia dominium voluntatis, non tantum extenditur in res, sed etiam in ipsos suos actus; consequenter potest se obligare voluntas ad non cedendum juri, si id, ut dixi, rationes, & in particulari bonum commune desideret, quod in ordine ad educationem proles ita minoraretur posita cessione juris, atque minoraretur non posita cessione juris. Tum quia. Videtur hoc significare formula ipsa contrahendi in Rituali posita. Spondeo tibi &c. *quod te non dimittam donec vivero*. Quamvis autem conjugum possint se obligare mutuo ne petant debitum, jure

tamen matrimonii cedere non possunt: quia ratio matrimonii non exigit petitionem debiti. Unde etiam dicit Augustinus: *Non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu*; cum tamen indissolubilitas sit de ratione matrimonii, obligetq; ex dictis, ad non dandum alteri, etiam ipsum jus usus.

Ex allato principio inferri potest. Si Clericus cedat jure suo, ut percutiatur, ut judicetur à iudice seculari, in causa incompetenti, cessio hæc nulla erit: quia istud jus Clerici, est inamissibile, ut unum de juribus communitatis.

INFERES. Posita distinctione juris inamissibilis & amissibilis, licet quando sit contra jus sed inamissibile, committatur injuria, quantumvis quis illi juri cedat, si tamen jus sit amissibile, & illi cedatur, non erit injuria, quidquid sit, quod pro instanti cessionis censetur retineri jus, nam ad hoc in presenti non attenditur.

OBJECITUR 2. Exemplum Christi D. & Martyrum, quibus facta est propriè dicta injuria, & tamen volentibus.

RESPONDETUR. Juri in vitam & membra neminem posse cedere: quia hoc jus est in ipsa natura fundatum, nec sumus Domini nostræ vitæ & membrorum, consequenter huic juri nec Christus, nec Martyres cesserunt. Et certè Martyres, supposito quod vellent esse Martyres, non potuerunt se spoliare juribus illis. Nam ad Martyrium pertinet habere rationem patientis: non patitur autem propriè, sed moraliter agit, qui tribuit alteri jus hoc agendi. Deinde ad Martyrium pertinet, ut patiens patiatur in eo, quod ejus est, non autè in eo quod ejus fuit, alias posset dici pati in pecunia, quam nonnisi in ante habuit, videnturq; hoc significare locutiones Scripturæ. *Rapinam, inquit, bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis*. Item, *Majorem charitatem nemo habet quam qui animam suam &c*. Ubi ratio sui, designat bonorum illorum non fuisse factam cessionem. Adfert de Lugo alias rationes, quibus ostendit Martyres & Christum non celsisse juri suo: quia non constat hoc illos fecisse: & quia per hanc cessionem non impediatur malicia tortorum, quia vel ignorarunt cessionem, vel si non ignorarunt, retinebant eundem affectum occidendi.

Denique, quia melius erat Martyribus, & Christo pati non solum mortem, sed etiam injuriam, ut major esset extensive passio. Loca Scripturæ quæ in oppositum citantur, solum ostendunt quod obtulerit se Christus & Martyres non coacti ad hoc. Significatur item promptitudo ad patiendum injurias. Denique quod resignavit jus ad irasci & indignari. An autem sit aliquod jus privatum in vitam, cui cedi possit, de hoc in presenti non queritur.

OBJECITUR 3. Redimendo vitam, dat aliquis volens pecuniam, & tamen per hoc injuriam patitur.

*L 3

RESPON-

R. P.
H. MLOD
A. D. WSKI
Tom 3. c. 4.
D. VI
6

INDEX.

RESPONDETUR. Talis vellet, quantum ex illo, non dare illam pecuniam, mirum ergo non est, quod illi fiat injuria.

OBJICITUR 4. Consentienti potest inferri malum. Ergo & injuria.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia malum tunc habebit totum, quod est necessa-

rium ad rationem mali; nempe, ut sit afflictivum, & dejectivum felicitatis. Jam autem consentienti, non potest fieri injuria: quia deest formalisativum injuriæ, nempe, ut fiat contra jus, cui non cedatur; ceditur autem illi si consentiat.

Ad M. D. G. Bq; V. H.

b. M.

INDEX TITVLORVM in hoc Opere contentorum.

TRACTATUS I.

De his quæ magis speculative noscenda in presenti. pag. 7

DISPUTATIO I.

De Essentiâ justitiæ.	ib.
QUÆSTIO I. Quid pro Genere dicat justitiâ?	ib.
Difficultas I. An justitiâ sit vere Virtus?	ib.
Punctum Difficultatis 1. Quid virtus in genere?	ib.
Punctum Diffic. 2. Quæ divisio virtutis ut sic?	9
Punct. Diffic. 3. Proponitur & probatur conclusio	10
Difficultas II. An justitiâ sit virtus ad alterum.	13
Difficultas III. De reliquis prædicatis justitiæ.	17
Punctum Difficultatis 1. An justitiâ particularis sit specialis virtus?	ib.
Punctum Difficultatis 2. An etiam justitiâ generalis sit virtus specialis?	19
Punct. Diff. 3. An justitiâ sit virtus præstantissima?	21
Punctum Difficultatis 4. Suadetur hæc præstantia.	23
Punct. Diff. 5. Solvuntur Objectiones.	25
QUÆSTIO II. Quid pro differentia dicat justitiâ?	26
Difficultas I. De Objecto materiali justitiæ.	27
Punctum Difficultatis 1. An materiale Objectum justitiæ sint passiones?	ib.
Punct. Diff. 2. Quodnam sit Objectum materiale justitiæ?	29
Punctum Difficultatis 3. Solvuntur Objectiones.	30
Difficultas II. De Objecto formali justitiæ.	32
Difficultas III. De medio intento à justitiâ.	35
Punctum Difficultatis 1. Aliorum explicationes	ib.
Punctum Difficultatis 2. Explicatur medium rei.	38
Punctum Difficultatis 3. Solvuntur Objectiones.	41
QUÆSTIO III. De ipsius Desinitione justitiæ.	42

DISPUTATIO II.

De Objecto remoto justitiæ quod est jus.	43
QUÆSTIO I. De jure prout est Objectum justitiæ.	44
Difficultas I. Explicatur jus justitiæ in nostris principiis.	ib.
Punct. Diff. 1. Explicatur jus justitiæ ex Aristotele.	45
Punctum Difficultatis 2. Solvuntur Objectiones	47
Punct. Diff. 3. Explicatur jus justitiæ ex S. Thoma.	50
Difficultas II. An jus sit designatio Juridica terminorum libertatis?	52
Difficultas III. Impugnantur aliorum explicationes.	54
QUÆSTIO II. De jure in quantum importat dominium.	55
Difficultas I. Quid dominium & quæ ejus divisio?	ib.
Difficult. II. An dominium ejusdem rei possit esse penes deos in instanti donationis?	56
Punctum Difficultatis 1. Quid tenendum?	58
Punctum Difficultatis 2. Solutio Argumentorum ex recentioribus.	60
Punct. Diff. 3. Proponuntur Argumenta communiora.	62
Difficultas III. An dominium distinguatur universaliter ab usu?	63
QUÆSTIO III. De jure in quantum lex est.	66

DISPUTATIO III.

De Subjecto justitiæ.	68
QUÆSTIO I. An in Deo respectu creaturæ possit dari perfecta justitiâ?	ib.
Difficultas I. Præmittuntur aliqua ad intelligendum questionis statum.	ib.
Difficultas II. Deciditur Quæstio.	69
Punct. Diff. 1. Examinantur rationes pro hac sententia.	ib.
Punct. Diff. 2. Formantur Rationes pro conclusione.	73
Difficultas II. Solutio Objectionum.	75
Punctum Difficultatis 1. Argumenta ab autoritate.	ib.
Punctum Difficultatis 2. Rationes Oppositorum.	78
Punctum Difficultatis 3. Argumenta pro obligatione domini etiam absoluti.	80
QUÆSTIO II. An creaturæ ad Deum possit dari perfecta justitiâ?	81
Difficultas I. Examinantur Argumenta negantium.	ib.
Punct. Difficultatis 1. Proponitur primum Argumentum.	ib.
Punct. Diff. 2. Proponitur secundum & tertium Argumentum.	84
Punct. Difficultatis 3. Continuatur idem Examen.	86
Punctum Difficultatis 4. Quid tandem sentiendum de his Argumentis.	88
Punctum Difficultatis 5. Rationes aliorum.	90
Difficultas II. Probatur intentum.	92
Difficultas III. Solutio Objectionum communiorum.	93
QUÆSTIO III. De aliis Subjectis justitiæ.	97

DISPUTATIO IV.

QUÆSTIO I. De justitiâ particulari & generali.	ib.
Difficultas I. An justitiâ legalis sit rigorose justitiâ?	101
Difficultas II. Argumenta oppositorum.	102
Difficultas III. De Objecto justitiæ legalis.	104
QUÆSTIO II. De justitiâ distributiva.	105
Difficultas I. Præmittuntur quædam.	ib.
Difficultas II. Quodnam Objectum respicit justitiâ distributiva?	107
Punctum Difficultatis 1. An distributivæ Objectum sit componere jus communis cum jure privati?	ib.
Punctum Difficultatis 2. An formale Distributivæ sit æqualitas Geometrica?	ib.
Punctum Difficultatis 3. Quod eandem formale distributivæ & ejus specificativum?	109
Difficult. III. Inferuntur quædam ex dictis.	112
QUÆSTIO III. De justitiâ vindicativa.	113
Difficultas I. Præmittuntur quædam.	ib.
Difficultas II. De regula vindicandi in judice.	115
Difficultas III. Notantur quædam.	117

DISPUTATIO V.

De opposita justitiæ injustitiæ.	118
QUÆSTIO I. De injustitiâ secundum se.	ib.
QUÆSTIO II. An injustitiâ sit vitium speciale?	120
QUÆSTIO III. De modo committendi injustitiâ.	122

INDEX